



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvatio XI. De effectus Pœnitentiæ in ordine ad recuperationem gratiæ,
& virtutum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

quod dānatus patitur propter mortale, aliud quod patitur propter veniale: pœna enim venialis præscindit per se ab obstinatione contracta per mortale, & ordinatur de se ad correctionem, sicut si aliquis propter delictum priuaretur bonis omnibus; & hic ipse esset prius in carcere propter debitum pecuniarum pareretur sanè carceris incommoda, quandiu non soluit, licet propter coniunctionem cum illo alio delicto esset impotens soluendo, & fieret per accidens diuturnior carceris pœna.

44.

Ad do tamen damnatum non ita esse obstinatum in malo, ut amittat omnem potentiam etiam physicam ad resipiscendum saltem actu naturali: habet enim vere potentiam physicam ad non peccandum alioquin non peccaret in odio Dei: sufficit autem hæc potentia, ut possit pœna peccati venialis ex se ordinari ad eius correctionem, licet certissimum sit nunquam corrigendum. In hoc ergo consistit eius miseria, quod ex vno capite videt malitiam sui peccati, & potest saltem physicè actu naturali eam odio habere; ex alio autem capite propter peccatum mortale priuatur omni auxilio congruo ad resipiscendum etiam naturalem, quare sicut manet ei libertas ad peccandum: manet etiam libertas sufficiens, ut pœna peccati venialis ex se ordinetur ad eius correctionem, licet aliunde certum sit nunquam corrigendum in pœnam peccati mortalis. Quamvis ergo pœna non ordinetur ad correctionem illius, qui nullo modo potest corrigi, ut in amente, vel dormiente, &c. Caterum in eo, qui potest aliquo modo resipiscere valde congruit ordinari pœnam temporalem ad eius correctionem, ut diximus: Est enim pœna sicut reprehensio, aut exprobratio quædam delicti: quare sicut exprobratio in eo, qui potest corrigi, ordinatur ad eius correctionem, & quandiu non vult corrigi, merito continuatur reprehensio, & exprobratio peccati præteriti; ita de punitione dicendum videtur propter eandem rationem.

45.

Dices iterum; ergo fieri potest de facto, ut magis aliquis puniatur in Inferno propter peccata venialia quam propter mortale, quia utraque pœna est æterna; & cum pœna pro mortali sit finita in intensione, poterit tandem æquari, & superari à pœna venialium, si hæc magis, & magis multiplicaretur. Consequens autem videtur absurdum, quia peccata venialia quantumvis multiplicentur, nunquam adæquant vnum mortale in gravitate culpæ, ergo neque in pœna. Respondeo negando sequelam simpliciter loquendo, quia necessitas perpetuitatis pœnæ nullo modo correspondet venialibus, sed soli mortali, cui soli respondet obstinatio, & necessitas perpetuitatis: loquendo autem de pœna sensus non est inconueniens, æqualem respondere multis venialibus, & vni mortali, dū tamen illis correspondeat perpetua per accidens; huic autem per se, quod provenit ex maiori huius gravitate quod fatentur multi apud Grana- do in materia de peccatis *tract. 9. disp. 4. num. 6.* qui eos sequitur. Quod quidem admitti potest iuxta secundam solutionem, nam iuxta primam supra positam non est necesse concedere sequelam etiā de pœna sensus, quia posset ea ita esse remissa, ut nunquam adæquet acerbiter pœnæ æternæ quæ respondet culpæ mortali.

Ex dictis inferitur solutio ad obiectionē initio propositam: negamus enim per secundum peccatum mortale remuiscere pœnam dimissam prioris peccati mortalis formaliter loquendo: illa enim prior erat per se æterna; hæc autem, quæ nunc datur, est æterna, per accidens: itam pœna illa dimissa erat etiam obstinatio, quæ debebatur propter illud

primum peccatum, nunc autem obstinatio non contrahitur propter illud primum, sed propter posterius peccatum: solum ergo perseverat formaliter illa pœna, quæ iam debebatur, sed tamen manet æterna per accidens propter obstinationem, quæ illi adiungitur, ut iam explicatum est.

DISPUTATIO XI.

De effectu pœnitentiæ in ordine ad recuperationem gratiæ, & virtutum.

SECT. I. An recuperetur gratia correspondens meritis precedentibus.

SECT. II. An merita remuiscant in ordine ad idem premium, quod prius debebatur?

SECT. III. Virum per pœnitentiam restituatur etiam gratia antiqua, quæ data fuerat sine meritis.

Hæc est eadem quæstio cum ea, quæ sub aliis terminis solet disputari de remuiscencia meritorum; an scilicet merita per peccatum mortificata, postea per pœnitentiam remuiscant? Nam si merita remuiscunt in ratione meriti, & eo ipso redeunt habitus gratiæ, & virtutum insuflatum illis meritis correspondentes, qui per peccatum fuerant deperditi. Agunt ergo de hac quæstione Theologi etiam in 1. 2. q. 14. in materia de marito ubi videtur potest P. Valquez *disp. 1. 2. & in præfati art. 5.* & P. Suarez in *opusculis relect.* peculiari de remuiscencia meritorum.

SECTIO I.

An recuperetur gratia correspondens meritis precedentibus.

Quod querimus de habitu gratiæ intelligimus etiam de virtutibus insuflis, quæ veniunt cum gratia. Eadem enim est earum ratio, supposita sententiæ communi, quod habitus insuflati virtutum moralium habeant connexionem cum habitu gratiæ, ita ut recedente gratia, recedant, & veniente, veniant cum illa. Est autem duplex gratia, de qua potest queri, an per pœnitentiam recuperetur: altera est, quæ ante peccatum erat iam data ex meritis, altera quæ data fuerat etiam ante peccatum ex opere operato, verbi gratia, per Sacramenta: utraque per peccatum perditur, & de utraque queritur, an per pœnitentiam restituatur; ita ut si homo ante peccatum habebat quatuor gradus gratiæ, partim per Sacramentum, partim per merita comparatos; post pœnitentiam iidem, vel alij quatuor gradus restituatur ultra gratiam, quam in secunda iustificatione per contritionem: verbi gratia, vel per Sacramentum pœnitentiæ accipit? In hac sectione, & sequenti dicemus de gratia acquisita per merita, an redeat. Sectione verò tertia dicemus de gratia quam habuerat homo ex opere operato, an etiam redeat.

Supponimus, per peccatum merita precedentia non mori, sed mortificari; id est, non ita extinguuntur, quin maneat in eo statu in quo possint iterum expedire habere suam operationem, scilicet, perducere hominem ad gloriam: impediuntur, sed non extinguuntur; ergo, & quasi ligantur per peccatum, sed non extinguuntur; retinent enim adhuc vim inferendi premium, si tollatur obex peccati.

Hoc supposito, conveniunt Theologi cum S. Thoma

Merita per
penitentiam
reniuntur.

ad Hebr. 6.

4.
Trident.

1.
ad Gal.

2.
Hieronymo.

6.
Trident.

1.
ad Gal.

2.
Hieronymo.

1.
ad Gal.

2.
Hieronymo.

1.
ad Gal.

2.
Hieronymo.

1.
ad Gal.

2.
Hieronymo.

ma in presenti quod per penitentiam reniuntur merita precedentia. Conueniunt, inquam, in hoc, quasi in dogmate, ita ut aliqui dicant esse de fide, ut Nūus in presenti artic. 5. §. tota difficultas. Alij contrarium esse errori proximum. Ita Bañes 2. 2. quest. 24. articul. 6. dub. 6. Alij, non posse sine temeritate negari. Ita Suarez cum alijs, Fundamenta precipua hæc sunt. Primum ex Paulo ad Hebr. 6. Vbi iuxta communem interpretationem loquitur ad eos, qui post Baptismum lapsi fuerant in peccatum; quos ubi acriter deterruit difficultate conuersionis, & venia: postea eos ad spem erigit his verbis: *Confidimus de vobis dilectissimi meliora, & vicina salutem, tamen si ita loquimur: non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministrastis, &c.* Ex quibus verbis Glossa interlinealis, & alij colligunt priora illa merita remunerationem suam accepturam, si iterum peniterent & resurgerent à peccato. Videatur P. Vasquez in presenti dubio 1. numero 13. & sequentibus.

Confirmatur magnopere hic sensus Pauli ex Tridentino sessione 6. cap. 16. vbi illa Apostoli verba in eo sensu videntur accipi: sic enim dicitur: *Hæc igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuo conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba abundante in omni opere bono scientes, quod, labor vester non est inanis in Domino, non enim iniustus est Deus; ut obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Vbi Concilium cum mysterio videtur dixisse, hæc verba proponenda esse iis etiam iustificatis qui amissam gratiam recuperauerint: ut indicet, sermonem etiam esse de meritis præmortificatis: nam si de solis meritis loqueretur factis post ultimam iustificationem, non oporteret de iis iustificatis specialiter facere mentionem, cum nihil habeant peculiare ab alijs iustificatis, respectu eorum meritorum: quia tamen quoad merita, mortificata erat peculiaris difficultas: ideo illorum, qui post peccatum iterum secundum surrexerant, specialiter meminit, ut eos etiam Apostoli verbis consolaretur.

Secundum fundamentum sumitur ex eodem Paulo ad Galat. 3. vbi Galatis post Baptismum lapsi, qui tamen pro Christo multa passi fuerant, subiungit Apostolus: *tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.* Hæc posteriora verba, teste Hieronymo, ibi indicant, illa priora opera non caritura fructu, si Galatæ resipiscant. Verba Hieronymi sunt hæc: *Spes est, quod quicumque ob Christi fidem laborauerit, & postea lapsus fuerit in peccatum, siue priora sine causa dicitur passus fuisse, diem peccat, sic rursus non perdet ea, si ad pristinam fidem, & ad primum studium reuertatur.* Quem etiam sensum videntur colligere Glossa, & Anselmus ex illis Apostoli verbis.

Tertium fundamentum precipuum est ex Tridentino illo cap. 16. vbi, ut opus aliquod sit meritum vitæ æternæ hæc solum requirit, ut scilicet in Deo hoc est, in gratia, sit factum, & homo debeat in gratia: idem reperit canon. 32. his verbis: *Si quis dixerit, iustificationem bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius vnum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consequentiam, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Non dixit, si gratiam non interrupperit, sed solum si in gratia decesserit. Hæc autem omnia verificantur in eo opere, quod postea per peccatum mortificatur.

P. Ioan. de Lugo, de Penitentia,

fit enim in gratia, & ex gratia, & tandem homo decessit in gratia, ergo consequitur præmium: alioquin si aliquid aliud requiritur, falsum est, quod Concilium dicit id solum requiri, & nihil amplius deesse, ut habetur illo can. 16.

Obiicies ex eodem Tridentino illa sessione 6. canone 26. vbi videtur exigi ad obtinendum præmium perseuerantia in gratia post meritum vsque ad mortem his verbis: *Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare æternam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agenda, & diuina mandata custodiendo vsque in finem perseuerarint, Anathema sit.* Vnde colligi videtur, non deberi præmium bono operi, si postea iustus non perseuerat in gratia, sed labitur in peccatum, & postea resurgit. Respondeo, in primis in eo loco, licet affirmetur perseuerantem in gratia sine interruptione vsque ad finem habiturum præmium: non tamen negari, id quod alijs in locis dictum fuerat, habiturum præmium boni operis in gratia facti, quicumque in gratia decesserit, siue interrupta fuerit, siue non interrupta. Cum nulla alia conditio dicatur exigi, nisi mors in gratia. Deinde respondeo, per perseuerantiam vsque in finem non intelligi gratiam nunquam interruptam, sed gratiam perseuerantem ab ultima eius acceptione vsque ad mortem. Sic enim dicitur etiam à Christo, *Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.* Matth. 19. vbi perseuerantia nomine, quæ certè in omnibus adultis necessariò requiritur ad salutem, non significatur gratia solum nunquam per totam vitam amissa, sed gratia vsque ad mortem conseruata siue multo, siue paulo ante accepta fuerit.

Quartum fundamentum ex auctoritate Patrum, scilicet ex Glossa interlineali in illud Ioel. cap. 2. & reddam vobis annos, quos comedistis locustas: vbi Glossa: *non patiar, perire vbertatem, quam perturbationibus animi perdidistis.* Item ex eadem Glossa interlineari, *Leuitico. capite septimo.* in priora verba. Item ex Anselmo, Theophylacto, Chrysostomo, Theodoro, super illa Verba Pauli supra adducta ad Hebræos cap. 6. quos adducit Vasquez in presenti dubio 1. numero 17, qui etiam reiciit alia Patrum loca, ex quibus minus bene solet hæc conclusio probari. Potest autem iis addi testimonium Felicis Papæ Tertij in Epistola ad Acacium Episcopum Constantinopolitanum, quam affert Baronius, tomo quinto Annalium, anno Christi. 483, vbi Episcopum ad correctionem, & penitentiam hortatur his verbis: *Vbi est frater Acacii labor tuus, quo tyrannidis hæretica opem desudasti pariter, hoc damno conscientia tua eiusmodi perire mercedem, quibus verbis aperte indicat, posse illam mercedem non perire, si per penitentiam ad gratiam redeat.*

Difficultas est in reddenda ratione huius reniuentiæ, & discriminationis inter merita & demerita, Ratio reniuentiæ hæc per se sequens peccatum non redeant, sicut reniuentia, merita redeunt per penitentiam? Certè qui hoc quaerit, ad misericordiam Dei reducunt, qui priorior est ad beneficiendum, quam ad puniendum, non fugiunt difficultatem, imò augent illam. Si enim ex natura rei tantam vim habet peccatum ad extinguenda merita, quantam iustificatio ad extinguenda peccata; ergo secunda vita illa, quam postea habent merita, non est, nisi ex misericordia Dei, atque adeo homo ille non erit verè dignus, sicut antea, sed ex misericordia Dei reputabitur dignus, quod non sufficit ad veram rationem meriti condigni, de quo agimus in presenti.

Huius difficultatis solutio pender ex illo dubio quod hic tractari solet, an merita reniuantur ex iustitia,

7.
Trident.

8.
Ioel.

Felix III.

9.
Ratio reniuentiæ.

10.

Q 2 iustitia,

iustitia, an verò ex misericordia Dei in quo Pater Vaquez dicta disputat. 22. 1. cap. 3. & 4. & in presenti dubio. 1. dicit, reuiviscere ex natura rei, ita ut nullo modo potuerit impediri à Deo, quòd reuiviscant, quare tota misericordia Dei est, quòd homo poeniteat, vel iustificetur: supposita verò iustificatione, omnino necesse est merita reuiviscere; quia alioquin si ex misericordia Dei id oriretur, non haberent merita veram dignitatem, ut dicebamus.

11. P. Suarez dicta relectione disputat. 1. sect. 3. concedit, merita de se habere dignitatem quasi fundamentalem ut possint à Deo acceptari, etiam si fuerint interrupta: sed addit, potuisse à Deo non acceptari, atque ideo misericordiam Dei intervenire, non solum in eo quòd homo poeniteat, & iustificetur, sed etiam quòd Deus ratione peccati hominem non priuaverit in perpetuum omni iure, quòd ex meritis præcedentibus poterat habere: tunc enim, licet postea iustificaretur, merita non reuiviscerent, sed adhuc careret illis in poenam peccati præcedentis: sed tamen supposita lege, quòd voluit, merita ita acceptare, ut possent reuiviscere, iam ex iustitia inferunt præmium, quia Deus ex iustitia tenetur leges suas in remuneratione statutas servare. Ideoq; Paulus dixit ubi supra, Hebræos non amissuros sua opera priora, quia Deus non est iniustus, esset enim contra iustitiam, supposita lege præsentis, si illa merita non reuiviscerent.

12. Nobis iuxta propria principia facilis erit resolutio eius questionis, suppono enim ex materia de Incarnatione, Deum non obligari ex rigorosa, & stricta iustitia ad dandam gloriam hominibus, sed ex fidelitate, quare reuiviscencia hæc, licet esset ex lege, & statuto Dei, non esset ex iustitia commutativa strictè loquendo, sed late sumpta, in quo sensu dixit Paulus, fore contra Dei iustitiam, si negaret præmium, scilicet, contra iustitiam illam, cuius Deus est capax, nempe gubernativam, vel aliam. Deinde suppono ex 1. 2. in materia de merito, condignitatem, & valorem operum non provenire ex acceptatione extrinseca Dei, sed ex qualitate ipsius operis, & ex dignitate operantis, quamvis enim Deus nolit illud opus acceptare ad præmium; tamen ipsum opus de se erit dignum tali præmio: poterit ergo Deus illud non præmiare, sed non poterit facere quòd non sit dignum præmio. Acceptatio itaque Dei non dat dignitatem, sed dat infallibilem consequentiam: quare in hoc puncto est fere questio de nomine cum Patre Suarez: nam ipse etiam ante divinam acceptationem agnoscit in operibus quandam condignitatem fundamentalem, seu æqualitatem, quantum est de se, ut acceptentur à Deo in ordine ad tantum præmium. Hanc nos appellamus condignitatem simpliciter: acceptatio verò complet opus, non in ratione meriti, sed ratione meriti infallibiliter inferentis præmium. Hoc ergo suppono, dubium est, an ante omnem legem, & statum Dei, opera iusti habeant de se valorem, & dignitatem, ut detur illis gloria, etiam si per peccatum interruptatur gratia, dum tamen postea restituatur. Fatemur enim, Deum potuisse non dare gloriam postea pro eis operibus per peccatum interruptis, & quoad hoc à libertate Dei pendere, quòd detur præmium pro illis; sicut etiam pendet ab eius libertate, quòd detur præmium pro meritis non interruptis: sed dubium est, an sicut merita non interrupta ex natura rei exigunt præmium; ita merita interrupta illud exigant ex natura rei, ita ut Deus ex natura rei non possit aliter facere licet posset de potentia absoluta.

De quo breuiter assero, in primis potuisse Deum de potentia absoluta post primum peccatum priuare hominem, omni spe recuperandi priora merita, ita ut licet postea iustificaretur, non reuiviscerent. In hoc discendum à Patre Vaquez, nulla enim apparet in hoc repugnantia in ordine ad potentiam absolutam, secundum quam potuisset Deus condonare culpam non condonando poenam æternam, ut supra diximus; ergo à fortiori posset condonare culpam non condonando aliquam partem pænæ, qualis esse potuisset extinctio meritum præcedentium, si Deus in poenam peccati ea extinxisset, ut videtur potuisse.

Dico tamen secundò, ex natura rei, & conformiter ad exigentiam gratiæ habitualis, eo ipso, quòd homo redeat in Dei amicitiam, debent reuiviscere merita priora sine ullo favore Dei superaddito, qui saltem non sit connaturaliter debitus ipsi iustificationi, hanc conclusionem suadet multi natura gratiæ habitualis, quæ ex se, & connaturaliter est semen gloriæ, quare licet de potentia absoluta potuisset homini iustificato, & grato non condonari poenam æternam, quam debet ex peccato; sed tamen connaturaliter gratia habitualis exigit illam condonationem, quia connaturaliter exigit gloriæ, cum qua non potest stare poena æternæ: ita ergo similiter connaturaliter exigit, quòd iustus non patiatur in æternum aliquam poenam propter peccatum, si autem priuaretur in æternum præmio præcedentium meritum, iam pateretur perpetuam iacturam, quæ erat poena præcedentis peccati, cum supponatur priuatus homo ille meritis præcedentibus, & præmio illorum in poenam peccati, quòd commisit, ergo verè puniretur poena aliqua æterna, quòd videtur repugnare ex natura rei cum statu beatifico gloriæ, in quam nihil intrat coingnatum, non solum debito culpæ, sed neque etiam debito pænæ, neque enim ille locus est supplicij & punitionis, sed gaudij, & præmij, illum enim, quem Deus actu punit, videtur aliquo modo odio habere, non odio inimicitie, sed odio vindictæ iustæ, & dum punit, recordatur illius peccati: quòd esset contra id, quòd promissit, quòd in quocumque die ingemiscat peccator, eius peccati amplius non recordabitur Ezech. 18. hoc est non solum ad odium retinendum propter culpam, sed neque ad puniendum in æternum, ut explicat ibi Glossa, cum ergo gratia connaturaliter afferat solum ius ad statum beatificum, cum quo ex natura rei non potest stare malum culpæ, vel pænæ, consequens est, quòd gratia afferat etiam ex natura rei restitutionem meritum, quæ si non restitueretur, daretur aliquod malum perpetuum pænæ.

Dices, illam carentiam præmij præcedentibus meritis correspondentis, non futuram propriè poenam, aut punitionem in patria, sed effectum relictum ex peccato præterito, à quo quasi à causa formali extincta fuit gratia, & merita præcedentia. Sed contra, quia non potest explicari, quomodo merita per peccatum mortificentur, vel extinguuntur, nisi demeritorie, quatenus, scilicet, indignum est, peccatorem præmiari, vel dignum est, qui non præmiatur: hæc autem poena non aliter exsequutioni mandatur, quam negando illi præmium, quòd prioribus meritis debebatur: cum ergo hoc præmium continuò negetur per eternitatem, consequens est ut per eternitatem exsequutioni mandetur poena, quam per peccatum incurrit, & per consequens quòd per eternitatem puniretur, si ea merita, nunquam præmiarentur.

Cōfirmatur quia nō alio modo in damnatis carentia gratiæ, & gloriæ est poena actualis damni, nisi quatenus

quatenus tunc executioni mandatur effectus, quæ peccatum inuit; scilicet impedimentum gratiæ, & gloriæ: sed similiter mandaretur executioni in Cælo effectus causatus per peccatum, scilicet, negatio maioris gloriæ, & gratiæ, quam per priora merita homo comparauerat, & per peccatum perdidit; ergo illa carentia esset quasi quædam pœna damni: non tollendo omnino visionem, & amicitiam Dei, sed saltem tollendo illam maiorem amicitiam, & visionem & hoc propter peccatum, quo perdidit ius, quod ad ipsâ habebat. Vnde licet aliud sit priuari iure ad gloriam; aliud priuari illa gloria quorum primum poneretur statim post peccatum secundum verò post mortem, sed tamen non potest tolli ius, quia eo ipso sequatur ablatio præmij in perpetuum, & per consequens, quin puniatur in æternū, quia nullo alio modo puniatur homo, vel patitur, nisi per carentiam illius, præmij, quæ carentia est æterna quod si contendas, illam non esse pœnam, sed effectum pœnæ: nepe priuationis iuris. Contra hoc est, quia etiam ipsa carentia iuris est æterna, quare sicut qui priuatur opibus in pœnam, patitur etiam postea illâ pœnam: ita esset in præfati, quod homo in æternū pateretur illâ pœnam, scilicet carentiam iuris, & effectum illius, nepe carentiam præmij.

17. Dices iterum; ergo nec de potentia absoluta potuit Deus impedire, ne reuiuiscant merita in iustificatione, quod est contra primam conclusionem. Probat sequela, quia eo ipso, quod homo iustificatur, accipit ius ad gloriam, ergo accipit ius ad carentiam omnis pœnæ æternæ, ergo habet ius, ne puniatur per carentiam illam perpetuam præmij debitis meritis præcedentibus, ergo eo ipso habet ius ad illud præmium, ergo eo ipso reuiuiscunt merita præcedentia, quid enim aliud est reuiuiscere, quam habere ius ad obtinendum præmium pro illis? Respondeo, gratiâ afferre secum exigentiam quandam connaturalem, qua connaturaliter exigit condonationem omnis pœnæ æternæ; sed tamen Deus de potestate absoluta, potest adhuc posita gratiâ, non condonare pœnam æternam, non solum partialem, sed nec totalem: quo casu homo stante gratiâ, adhuc esset debitor debito proximo pœnæ æternæ Inferni, ut supra diximus, atque à fortiori eodē modo de potestate absoluta posset Deus, non obstante illa connaturali gratiæ exigentia, non condonare homini aliquam carentiam æternam illius maioris gloriæ, quam per merita priora meruerat, & cuius carentiâ meruerat per peccatū subsequens, quo casu, non debebat dici ille homo habere ius absolute ad illam maiorem gloriam, sed habere ratione gratiæ habitualis exigentiam connaturalem ad condonationem illius pœnæ, & per consequens habere quasi ius quoddam connaturalitatis mediatum ad illam gloriam, cum hoc tamen staret bene dignitas absoluta illius pœnæ quandiam non condonaretur à Deo.

18. Vergebis adhuc, quia id, quod nos concedimus de possibili potuisse, scilicet Deū extinguere merita per peccatū, ita ut postea aduenire etiam iustificatione per gratiâ, non possent reuiuiscere, videtur de facto concedendum: peccatū enim de facto habet eadē malitiâ quā tunc haberet, ergo habet eandē indignitatem, ergo reddit formaliter hominē indignum omni iure ad præmium propter opera præcedentia; ergo de facto extinguit omnino illud ius: quid enim illud est extinguere ius, nisi reddere hominē formaliter indignū retinēdi aliquod ius radicale ad præmiū? si ergo de facto peccatū aufert omne ius radicale, extinguit illud, & reducit ad eū statū omnino, quæ haberet, si nunquā fuisset: quod autē ex-

Ioan. de Lugo de Penitentia

tinuum est, & non solum consopitū, viuificari non potest per gratiam, quia Deus non potest facere, ut homo sine meritis habeat ius ex meritis ad gloriam.

Respondeo, peccatum de facto habere totam illam indignitatem, atque adeo peccatorem dignum fieri, ut extinguatur totum ius, & valor meritorum omnino: de facto tamen non extingui, quia licet homo peccans dignus sit, ut Deus auferat illi omnem spem recuperandi gratiam, & per consequens viuificandi merita priora, de facto tamen Deus non vult auferre homini in hac vita potentiam, & spem recuperandi gratiam, & ideo non extinguitur omnino illud ius, sed manet suspensum, quandiu potest per gratiam viuificari, quæ gratia ex natura rei affert quod redeat valor priorum meritorum, & eorum præmium.

Hinc infero primò, si peccatum hominis habentis merita mortificata remitteretur à Deo per meram condonationem extrinsecam sine infusione gratiæ, potuisset tunc ex natura rei non reuiuiscere priora merita; quia potuisset Deus remittere culpam non condonando pœnam æternam totalem vel saltem partialem, qualis erat carentia gloriæ illis meritis debita & hoc quidem ex natura rei, cum non esset gratia habitualis (ut suppono) quæ nunc de facto exigi ex natura rei condonationem pœnæ æternæ: nullum ergo esset principium, cui ex natura rei deberetur tunc reuiuiscencia meritorum, & ideo caute à Concilio exigitur mors in gratia, ut merita reuiuiscant.

Infero secundò, in prædicto casu potuisset etiam ex natura rei reuiuiscere merita potuit enim Deus remissa culpa per condonationem extrinsecam sine infusione gratiæ, remittere etiam omnem pœnam æternam, in qua non continebatur carentia æterna (ut vidimus) præmij correspondentis illis meritis præcedentibus: quare condonata omni pœna æterna: illa etiam carentia debebat condonari, & licet ille homo pro tunc, vel pro illo etiam tempore sequenti determinato careret gratiâ, sed tamen eius merita præcedentia reuixerant ex vi illius condonationis, & habebat ius, ut gratia præcedens sibi aliquando restitueretur, ne illa perpetuo careret.

Petes: si Deus nunc educeret aliquem ex Inferno & daret illi spatium penitentiae, an tunc reuiuisceret antiqua eius merita, si forte habuit aliqua? Respondeo, ex natura rei redditura propter rationem supra traditam, quia gratia, quæ nunc reciperet, daret illi ius ad gloriam, & per consequens exigeret non punire iā hominē illum aliqua pœna, qualis esset carentia præmij debiti illis operibus.

Dices, illa merita non solum erant mortificata, sed mortua, ergo non possent redire. Respondeo in casu posito non fuisse omnino mortua, & extincta, nam posito, quod Deus non habebat decretum absolutum est efficax puniendi illum hominem in æternum in Inferno; non erat præcisè omnino spes recuperandi illa merita; nunc autem de facto merita in damnatis dicuntur mortua quia iam est omnino illis impossibilis vita: quo impossibilitas provenit formaliter ex decreto Dei non remittendi vquam eis illam pœnam: radicaliter verò ex ipsa status conditione, quæ quia est iam extra viam, & in termino, affert secum eam immutabilitatem, & per consequens adimit meritis potentiam refurgendi; ex qua impotentia dicuntur omnia mortua.

Dices iterum, quod si homo ille, qui extraheretur ex inferno in pœnâ peccati priuatus iam fuisset à Deo omni iure, quod ex meritis quocumque modo habuisset, potuissent ne adhuc reuiuiscere eius

Q 3 merita

merita, si iterum penitenter? Respondeo, priuari hominem omni iure omnino ex meritis orto, est omnino extinguere merita, hoc autem, ut dixi, non est aliud, quam Deum decernere absolute, & efficaciter, quod careat in eternum premio illis meritis correspondente: quo casu certum est, merita non reditura, quia repugnat, Deum habere illud decretum, & merita redire ad premium. Dicimus tamen ex natura rei non posse illud decretum absolute esse in Deo nisi simul habeat voluntatem non iustificandi iterum eum hominem; quod si velit adhuc post aliquod tempus eum iustificare, & educere ex Inferno; connaturaliter loquendo, non potest velle absolute priuare illum omni iure ex meritis prioribus orto.

24. Vltimo constat ex dictis differentia inter merita, & demerita, cur illa reuifcant, & non hæc. Ratio constat ex dictis *disputatione præcedenti*, cum enim peccatum condonatur, eo ipso petit omnino ius Dei contra hominem, ut ibi vidimus; quando autem homo peccat, non perit ius ad premium non enim potest aliter perire illud ius, nisi volente Deo punire peccatum priuatione perpetua illius præmij, dū ergo Deus non habet istam voluntatem, non perit meritum, peccatum verò perit per penitentiam, quia Deus habet voluntatem efficacem nunquam irascendi vltius propter illud peccatum, sed potius condonandi illud. Quod ergo pereat peccatum, & non meritum, oritur ex tali, vel tali voluntate Dei; vtrumque enim posset æquè perire, vel durare si Deus vellet.

SECTIO II.

An merita reuifcant in ordine ad idem premium, quod prius debebatur.

25.
Ad quod
premium
reuifcant
merita?
Prima
Sententia.
Ad premium
accidentale.

Vidimus, reuifcere omnino ad premium, in quo omnes conueniunt. Restat videre, ad quod premium? in quo valde dissentium Doctores. Aliqui voluerunt, solum redire ad premium accidentale, quatenus beatus in patria habet speciale gaudium, de operibus illis, quæ fecit ante peccatum. Occasionem dederunt huic sententia quadam verba Sancti Thomæ in præfenti art. 5. ad 5. sed hæc sententia ab omnibus reicitur & ab aliquibus (inter quos est Suarez disp. illa. 2. sect. 1.) temeritatis nota damnatur. Opponitur enim testimoniis Pauli, & Concilij supra adductis, & re vera reuifcentiam omnino tollit, illud enim gaudium accidentale habebunt etiam beati, de operibus bonis factis in statu peccati, & quidem maiorē occasionem gaudij dabunt eis hæc, quam illa opera: quia horum intuitu dedit eis Deus spiritum compunctionis & contritionis: illorum verò priorum operum nullum iam fructū habent, & tamen nemo dixerit, opera in peccato facta reuifcere; nam reuifcere est vitam recuperare, vita autem intelligitur esse ipsa rei substantia, & in ordine ad premium substantiale. De mente Sancti Thomæ videbimus in fine huius sectionis.

26.
Secunda.
Ad premium
substantiale.

Secunda ergo sententia est, reuifcere merita in ordine ad premium substantiale gratia, & gloriæ: hoc tamen non dari re ipsa maius secundum entitatem, quam si ea merita non præcessissent, sed dari vtroque titulo, & intuitu etiā coram meritorum, atque ideo in ratione præmij, esse maius, quia datur propter maiora, vel plura merita: sicut in humanis eadē res, vel corona data incertamine litterario est maius premium, & magis aestimabile, quam si daretur in certamine inferiori, vel sine vllis meritis. Hæc sententiam docuit M. Bañes 2. 1. q. 24. art. 6. eam tamē

impugnant ipsi etiam Thomistæ, quos affert Torres ibi disp. 69. dub. 2. Sotus dicit, esse falsissimā, Ledesma, esse erroneam, Suarez, esse parum consentaneam Conciliis, & Patribus, & merito quia, testimonia supra adducta loquuntur clare, de tali reuifcentia, per quam homo plus habeat, quam aliis sine illis meritis habuisset. Vnde Tridentinum de *Canon. 32.* loquens vniuersaliter de omnibus meritis dixit, per ipsa meriti hominem augmentum gratia, vitam eternam, & ipsius gratia eterna, si in gratia decesseris consequutionem, atque etiam gloriæ augmentum: solum ergo petit illam duplicem cōditionē, quod fiant in gratia, & homo in gratia deccat, vt afferant gloriæ augmentum: hoc autem totum reperitur in operibus mortificatis, quæ postea reuifcant ergo nihil eis deest, vt afferant gloriæ augmentum. Quod si hoc non afferunt, re ipsa non reuifcant, sed solo nomine saluatur reuifcentia, sine vlla procul vilitate fidelium, augentur solida consolatione: quid enim mea refert, quod idem nihil premium detur vno, vel duplici titulo: sicut neque conducere ad terrorem, quod peccata sequentia deberent puniri etiam eadem poena peccati præcedentis sine aliquo poenæ augmento. Aliquin alius posset contendere per primum solum opus dari determinatū gradū gloriæ: qui idem datur per omnia bona opera subsequencia, quod esset absurdissimū. Neque obstat quod dicebatur de corona, quæ apud homines exultimatur maius premium, quando datur propter illustriora merita: ibi non habet rationem præmij ipsa entitas coronæ secundum se, sed multo magis honor, & existimatio hominū quæ per illā coronam ostenditur de virtute illius, qui præmiatur. In cælo autem Premium substantiale non sumitur ex honore, vel fama extrinseca, sed ex visione Dei, quæ ipsa beatificat hominem; & cui accidit illa gloria, & existimatio extrinseca, tanquam premium accidentale: quæ si solum reuifcant merita ad hoc extrinsecum, non differt hæc secunda sententia à prima.

Tertia sententia aliorum Thomistarum est, restitui merita ad maius gloriæ augmentum substantiale, non tamen semper integrè, sed ad partem illius, quod antea illis debebatur. Quæ verò proportio ne resurgant, explicant variis modis: quos, & eorum Auctores referunt, & impugnant Suarez *ibid. supra, sectione secunda*; & Vasquez in præfenti Sotus, & Ledesma dicunt, restitui gratiam præcedentem iuxta proportionem dispositionis præsentis, inquit qui nunc disponitur summo conatu sibi possibili, recuperet totam gratiam præcedentem, qui verò cum dimidio, dimidiam; & ita alij cum eadem proportionem. Alij attendunt solum ad mensurā absolutā dispositionis præsentis: inquit qui habet dispositionē ad gratiam præsentem, vt duo, verbi gratia, accipiat etiā de gratia præterita alios duos gradus, quia dispositio, quæ sufficit ad duos gradus novos, sufficit etiam ad resuscitandos duos antiquos. Quod si homo ante mortem non se disponit sufficienter ad totam priorem gratiam recuperandam; alij dicunt eum in vltimo vite instanti conaturum: alij in primo instanti alterius vite, alij nunquam illam partem gratia restituentam. Alij denique mensuram determinare videntur ex gratia illa, in qua homo resurgit iuxta præsentem dispositionem; nam si homo accipit gratiam vt quatuor, tunc merita omnia præcedentia considerantur, ac si tunc elicerentur ab hoc homine cum ista gratia vt quatuor, & iuxta eam mensuram dignificantur, & augent gratiam præsentem. Hunc modum commemorat Suarez *disput. 2. n. 15.*

Postrema sententia concedit, merita restitui integrè

regre semper in ordine ad augmentum gloriæ, negant tamen, gratiam restitui in hac vita, sed eam simul cum gloria dari dicunt post mortem, ita Scotus & alij, quos affert Suarez *sestione 3. nuntio 10.*

Fundamentum commune iis omnibus est, quod gratia non infunditur, nisi iuxta mensuram dispositionis; sed potest contingere, dispositionem præsentem non esse ita intensam, ut sufficiat ad omnem gratiam præcedentem restituendam; ergo non restituitur illa integrè, sed vel solum ex parte, vel nihil, donec habeatur dispositio in gradu sufficienti.

Omnes istæ sententiæ latè impugnantur à Suarez *vbi supra*, qui de hoc puncto videndus erit. Breuiter possumus contra eas omnes argere testimonium Concilij Tridentini supra adductum ex *canone 32.* vbi de eodem præmio, quod bonis operibus debeatur, asseritur reddendum iusto, si tamen in gratia decesserit; non ponitur alia conditio, nec distinguitur duplex præmium pro eodem opere, vnum, quod datur si homo perseueret semper postea in gratia; alterum minus, quod datur si homo moriatur in gratia; sed de eodem præmio bono operi correspondente dicitur reddendum esse homini, si moriatur in gratia, & dicto *can. cap. 6.* eodem modo dixerat vniuersaliter: *nihil ipsi iustificatis deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuine legi pro huius vite statu satisfecisse, & vitam æternam suo eam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam promeruisse censentur*; non petit Concilium aliam conditionem, quod scilicet homo postea disponat se per actum intensiorem, sed solum quod in gratia decedat, ut illud idem præmium consequatur, quod illi operi promittitur sine ulla distinctione.

Præterea contra fundamentum earum sententiarum ex illo ipso, quod admittunt, argui potest; quia iam concedunt ferè omnes, hominem in ipsa iustificatione accipere propter merita præcedentia aliquid gratiæ, plus quam acciperet, si ea merita non præcessissent, ergo iam illud gratiæ, quidquid sit, datur vltra mensuram dispositionis præsentis: nam dispositio est ut quatuor, verbi gratia, & ex illa datur gratia ut quatuor independentè à meritis præcedentibus; ergo si datur alius gradus propter merita illa, hic gradus erit supra proportionem dispositionis præsentis, quæ adæquatur plenè per quatuor gradus gratiæ; ergo sicut datur ille quintus supra mensuram dispositionis; sic poterit restitui tota gratia præcedens integrè sine maiori inconuenienti.

Deinde contra illos specialiter, qui dicebant, gratiam præcedentem restitui iuxta mensuram eiusdem dispositionis, ita ut eodem gradu disponat ad restitutionem gratiæ antiquæ; sicut ad infusionem nouæ, adhuc possumus iterum ad hominem argumentari; quia sicut eadem dispositio potest disporre quasi dupliciter ad duplicem illam gratiam, licet vtræque simul sumpta excedat quantitatem ipsius dispositionis: ita posset illa dispositio comparari ad omnia merita præcedentia, non per modum vnius meriti, sed ad singula merita seorsim, & disporre seorsim ad gratiam, quæ respondebat singulis illis: licet tota illa gratia simul excedat quantitatem dispositionis. Cur enim magis potest vna dispositio esse virtualiter duplex in ordine ad gratiam præsentem, & præteritam; & non potest esse virtualiter multiplex in ordine ad gratiam huius, & illius meriti diuersi; cum hic etiam reperiantur, diuersi tituli ad gratiam sicut

dantur diuersi tituli ad gratiam nouam, & ad gratiam antiquam?

Quod verò illi alij insinuant, valorem meritum debere desumi ex quantitate gratiæ præsentis; falsissimum est; nam meritum valor non desumitur ex gratia vtrumque; sed gratia, quæ tunc est in subiecto quando meretur: & patet, quia licet homo hodie habeat gratiam ut octo; si tamen heri, quando ieiunauit solum habebat gratiam ut duo, ieiunium non accipiet valorem à gratia ut octo, quæ hodie est, sed à gratia ut duo, quæ heri fuit; ergo quantitas gratiæ, in qua homo resurgit, per accidens omnino se habet ad taxandum valorem meritum antiquorum cum nunc non mereatur homo: alioquin si homo nunc (quod fieri potest) ex vi perfectissimæ contritionis acciperet maiorem gratiam, quam ante lapsum habebat, deberent etiam antiqua merita reuiuiscere cum maiori valore, quam prius habuissent, ex maiori illa gratia desumpto, quæ nunc est in subiecto: quod tamen credo nemo concedet.

Denique à priori arguitur, quia reuiuiscere, ut supra dicebamus, est primam vitam recuperare: si autem merita non habent primum valorem, sed alium inferiorem, non recuperant primam vitam, sed partem primæ vitæ, & ita non plenè reuiuiscunt, sed diminutè, quod non saluat veram, & absolutam restitutionem, sed dimidiatam: nec id cum fundamento dicitur: quia per quamcunque dispositionem homo iustificetur, tollitur omnino impedimentum peccati, quod merita impediēbat; ergo manent iam omnino expedita, & libera, sicut antea: alioquin, ut supra arguebamus, si restaret pars aliqua impedita, iam secundum illam partem præmij non dandi puniretur peccatum pena aliqua æterna, cum propter illud peccatum patereetur homo perpetuam carentiam illius gloriæ partialis quæ nunquam redderetur.

Vltima verò sententia, quæ concedit merita reuiuiscere statim integrè ad totam gloriam prius debitam; non tamen restitui statim totam gratiam: non habet solidum fundamentum. Si enim obex peccati sufficienter ablati est, & merita manent iam expedita in ordine ad gloriam; non est vnde impediatur in ordine ad gratiam, nam gloriam non aliter exigunt, nisi mediante gratia, ut radice ipsius: Si ergo iam merentur gloriam, merentur etiam gratiam: Si autem merentur gratiam, dabitur statim, quia (ut suppono ex materia de merito) posito quocumque merito condigno; statim datur gratia, nec est, cur amplius differatur, ut magis constabit ex dicendis.

Duo sunt ferè pro iis omnibus sententiis fundamenta. Primum partim Philosophicum, partim Theologicum: sumitur enim ex ratione Philosophicæ, iuxta quam habitus non excedunt in intensione actus à quibus generantur, quare per actus remissos non acquiritur habitus intensus; ergo cum eadem proportionem de habitibus supernaturalibus dicendum est, nunquam infundi, nisi præcedente dispositione proportionata secundum intensiōem, ergo quando canō datur, non potest redire gratia intensi, quæ erat ante peccatum: dixi autem, hoc fundamentum esse partim Theologicum, quia videtur approbatum in Tridentino *sess. 5. can. 7.* vbi dicitur in iustificatione infundi iustitiam singulis, *secundum propriam cuiusque dispositionem*: non ergo infunditur supra mensuram dispositionis.

Hoc argumentum militat contra omnes etiam illos

illos Thomistas qui admittunt, aliqua ex parte restitui gratiam antiquam, licet non integrè; nam secundum illam partem deberet esse supra mensuram dispositionis præsentis, ut vidimus, quia vltima gratiam quæ nunc datur intuitu contritionis, verbi gratia, quæ gratia, commensuratur contritioni concedis dari aliquid aliud ex illa, quæ respondet prioribus meritis; hoc ergo debet esse supra mensuram dispositionis præsentis.

37.

Ad argumentum ergo respondeo, in primis factis esse dubium in philosophia, an habitus etiã adquisiti possint intendi per actus remissos. Experientia enim videtur probare non solum actibus intentis, sed ipsa mera actuum repetitione intendi habitum, & adquisiti maiorem facilitatem, sed quidquid sit de hoc, negatur paritas in habitu supernaturali, hic enim non producit physicè ab actibus, sed solum causatur meritorie: possunt autem actus remissi mereri aliquem gradum intentum gratiæ supra alios gradus, Ipsi iam præsupponuntur, quia in æstimatione morali multitudo actuum æquivaleret intensiori. Denique in casu nostro illa gratia antiquorum meritorum non datur intuitu dispositionis remissæ præsentis sed intuitu meritorum præcedentium, cum quibus, & non cum sola dispositione præsentis debet commensurari. Ex quo patet ad verba Concilij. Dicimus enim gratiam dari secundum dispositionem, non tamen est dispositio ad totam illam gratiam sola contritio præsens, sed contritio cum meritis præcedentibus: ita ut contritio disponat ad duos gradus gratiæ, verbi gratia, & merita præcedentia ad alios duos, quos habebat homo ante peccatum, & utrumque simul ad totam illam gratiam ut quatuor. Vel dici potest, gratiam quæ datur secundum dispositionem esse illam, quæ datur per se ad iustificandum, non illam quæ per accidens restituitur ex ablatione obicis; ita etiam respondet Suarez, sed clarior videtur primus respondendi modus.

38.

Secundum argumentum pro contraria sententia sumitur potissimè ex auctoritate S. Thomæ, qui videtur negare, gratiam totam posse restitui, nisi detur dispositio proportionata. Ita in præfati dicto art. 5. ad. 3. dicit gloriam dandam solum esse iuxta mensuram charitatis: futurum verò gaudium aliquod accidentale de operibus aliis in gratia factis, iuxta quem sensum loquitur etiam art. 1. dum dicit, pœnitentem aliquando resurgere in maiori gratia, aliquando in minori. P. Torres ubi supra dub. 3. explicat S. Thomam, quod non neget, gratiam meritorum restitui integrè, sed solum gratiam, quam homo ante peccatum habebat ex opere operato per Sacramenta, & ideo negat, hominem semper resurgere in æquali gratia. Sed reuera Sanctus Doctor videtur clarè loqui de gratia respondente meritis, de iis enim respondet habiturum beatum præmium accidentale, licet non habeat essentiale, & clarius id docuerat in 1. dist. 1. q. 1. art. 4. quæstionum. 1. ad. 1. P. Vazquez, in præfati dicto art. 5. dub. 2. clarè fatetur, S. Thomam tenuisse, non restitui gratiam integram donec ponatur æqualis dispositio præsens. P. Suarez d. dist. 2. sect. 7. num. 19. fatetur sententiam sancti Thomæ esse obscuram, & sibi difficilem: & in præfati art. 5. fatetur S. Thomam minùs accuratè respondisse hoc loco, licet alibi veram fortasse doctrinam de hoc puncto supponeret, ut ex aliis eius locis ibi adductis colligere conatur, & quidem verisimile est, S. Thomam loquutum fuisse iuxta alia principia sua, quibus docuerat per actus remissos non augeri habitum charitatis, vel saltem non dari statim illud augmentum, donec eliceret homo

aliquem actum intensiorem: sed cum communis iam sententia propter auctoritatem Concilij Tridentini oppositum doceat, non mirum quod in iis etiam, quæ ex illo principio sequuntur difficilis appareat S. Thomæ doctrina.

Tertiò denique pro vltima sententia arguunt aliqui, ut probent, non restitui statim gratiam meritorum præcedentium; sed vel in fine vitæ, vel post mortem; quia nullum est fundamentum asserendi, eiusmodi restitutionem fieri in ipsa iustificatione, nam Scriptura, & Tridentinum ad summum probant, illa merita non caritura suo præmio, & remuneratione: imò Tridentinum sess. 6. can. 12. cum valorem nostrorum meritorum explicaret: solum dixit, mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia humo decesserit, consequentem, atque etiam gloriæ augmentum. In quibus non inuenitur restitutio gratiæ statim faciendæ. Vnde retorqueri potest argumentum ex hoc loco Tridentini, quia homo iustus suis bonis operibus solum meretur de condigno ea quæ enumeravit Tridentinum: restitutio autem gratiæ statim faciendæ esset præmium diuersum ab his omnibus, & non connexum cum iis, nec ad illa requisitum: ergo deberet dari maior valor in operibus ad illud aliud præmium etiam condignè promerendum, Probatur itaque bene ex illo loco, gratiam illam debere aliquando restitui, quia non potest dari augmentum gloriæ pro iis operibus, nisi detur augmentum gratiæ, quæ est semen gloriæ, & cui gloriæ debet commensurari: quare non requiritur maior, nec diuersus valor ad promerendum restitutionem gratiæ in fine vitæ, quàm ad promerendum augmentum gloriæ, quare restitutio gratiæ est necessaria ad dandum augmentum gloriæ pro illis operibus. At verò quod restitutio gratiæ antequam fiat statim, quando homo iustificatur, non est necessarium ad dandum gloriam pro iis operibus: ergo possunt ea opera habere totum præmium quod iuxta Tridentinum promerentur absque eo quod gratia statim restituatur, quia possunt habere augmentum gratiæ, quando fiunt, & augmentum gloriæ post mortem: licet gratia non fuerit ante mortem restituta, ergo illa restitutio gratiæ statim facta deberet esse præmium diuersum ab eo toto, quod proponitur in Tridentino, & per consequens exigeret maiorem valorem ad illud etiam condignè promerendum.

Respondeo, totum hoc argumentum poni posse fieri ad probandum, quod neque etiam quando iustus bene operatur, detur ei statim augmentum gratiæ, quod meretur, sed in fine vitæ: quia in illis verbis adductis non fit mentio de augmento gratiæ statim dando: ergo acceptio huius augmenti statim esset nonum præmium exigens maiore valorem in merito condigno ipsius. Sicut ergo omnes fatemur, illud gratiæ augmentum dari statim pro operibus bonis, quia est eorum præmium condignum, ita debemus concedere, quod retineatur statim ablato obice, quia restituitur tanquam cõdignu eorũ præmium: Ratio autem vtriusque est, quia homo iustus per bona opera in gratia facta meretur augmentum gloriæ, & acquirit ius ad illud augmentum, & destinatur ad illud: fit etiam charior Deo, & dignus maiori amore, & magis stricto amicitie vinculo. Non est autem dignus solum, quod in fine vitæ magis diligatur, & fit magis amicus sicut etiam quod ex nunc fit charior, & magis dilectus, ut constat etiam in humanis; nam amicus præstans obsequia amico, eo ipso crescit de condigno in amicitia, & terminat maiorem benevolentiam amici, neque hic maior amor differtur, sed statim

SECTIO III.

*Primum per penitentiam restituatur etiam
gratia antiqua, quæ data fuerat
sine meritis?*

Diximus de gratia illa quæ ex meritis præcedentibus ante peccatum fuerat in subiecto, eam omnino reuiuiscere: restat videre de gratia illa quæ non ex meritis, sed ex opere operato habetur ante peccatum, qualis est ea, quæ habebatur ex Sacramentis; an hæc etiam postea per penitentiam restituatur? & in primis loquendo de mera possibilitate, non videtur dubium, quin Deus possit eam restituere, sed tamen de facto dubium est quid sit dicendum conformiter ad principia supra posita.

Prima sententia negat eam gratiam restitui ex toto vel ex parte. Hanc tenent aliqui etiam ex iis, qui nobiscum sentiunt in dubio præcedenti; ita P. Vasquez in præsentis, & alii in locis, quem sequitur etiam Ludovicus de Torres. 2. 2. de fide, spe, & charitate, disputat. 69. dub. 3. quia hæc gratia non debetur homini propter merita, non enim data fuit ex meritis, ut supponimus, ergo deberet restitui, si restituitur, ex liberalitate Dei; hæc autem non habetur ex Sacra Scriptura vel Patribus, ergo non est, cur sine vilo fundamento ponatur talis restitutio.

Contraria sententia est iam communior, quam docuerunt etiam aliqui ex iis, qui negabant plenam reuiuiscendam meritorum. Ita docuit M. Bañes 2. 2. questio. 24. art. 6. dub. 6. circa ultimum. Nam licet neget merita priora redire, nisi ad idem præmium gloriæ respondentis gratiæ præsentis, concedit tamen gratiam omnem priorem, quæ ex Sacramentis habita fuerat, redire ultra gratiam correspondentem præsentis dispositioni; quia hæc gratia non debet commensurari cum dispositione præsentis, cum iam fuerit data ex vi, & efficacia Sacramenti præteriti: quàm consequenter hoc ipse doceat, non facile apparet: Sed quidquid de hoc sit eandem sententiam affirmantem tenet Suarez dicta disp. 2. sect. 4. num. 57. P. Coniunct in præsentis & alij Recentiores. Quam existimo probabilior, quia est magis conformis modo loquendi Sacra Scripturæ, & Patrum quibus reuiuiscendam meritorum supra probauimus, sæpe enim generaliter videntur loqui de gratia prima sine distinctione gratiæ habite hoc vel illo modo: ita enim sonant verba illa Ioël. 2. Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, &c. quæ verba de gratiæ recuperatione explicat Glossa sine vlla distinctione. Possunt etiam ad hunc sensum applicari verba illa Patrisfamilias recipientis filium prodigum penitentem Luc. 15. & imperantis dari ei solum primam. Stola enim nomine gratiam communiter intelligunt Interpretes; quam tamen non vtriusque vult afferri, sed primam id est, quam habebat omnino ante peccatum. Ita videtur intelligere Chrysostomus homil. de parte & duobus filiis, quæ est 4. in Lucam. tem. 2. Iubet, inquit solum illam primam proferri, vel primam gloriam, quam ex seductione diaboli nudatus amiserat. Quod si non omnis gratia redderetur, daretur stola, vel gloria, quam ex seductione Diaboli amiserat.

Ratione verò probat P. Suarez hanc sententiam ex paritate vtriusque gratiæ; nam sicut gratia prior datur ex meritis propriis, & ideo restituitur,

tim ponitur. Certum ergo esse debet, quod homo iustus per bona opera crescit statim in amicitia & gratia Dei: Certum etiam est, quod non sanctificatur formaliter per ipsamet opera virtutum, sed solum dispositiue, quatenus afferunt sanctitatem, & iustitiam formalem intrinsecam habitalem: ergo cum fiat ex tunc magis sanctus & amicus, atque amabilis Deo, debet ex tunc accipere formam, quæ eum reddat amabiliorem, & gratiorem, nempe augmentum gratiæ habituales.

41. Similiter ergo, quando per penitentiam resurgunt merita, homo ille est magis charus Deo, quàm alius iustificatus, in quo non resurgunt vlla merita; est destinatus ad maiorem gloriam, ad quam iam ex nunc habet ius, debet ergo habere totum per aliquam formam physicam intrinsecam: quia licet de possibili potuisset Deus dare alicui ius ad gloriam absque forma intrinseca per solum acceptionem extrinsecam, de facto tamen noluit Deus, quemquam habere tale ius, nisi per formam intrinsecam, per quam formaliter & propriè sanctificaretur: de quo dixi disputat. 14. de Incarnatione sect. 4. num. 66. ergo eo ipso, quod resurgat ius ad maiorem gloriam, debet surgere titulus intrinsecus, nempe maior sanctitas: quia eo ipso hic homo est magis charus Deo, quàm alius, qui nulla bona opera habuerat; ergo magis amicus, per consequens habens in se maiorem gratiam, sine qua homo non est obiectum maioris amicitiae diuinæ: alioquin esset magis sanctus, & sanctificaretur non solum dispositiue, sed formaliter per ipsa bona opera præterita.

42. Accedit alia ratio peculiaris, quam magis urgebimus sectione sequenti, quia nimirum gratia habitata ex Sacramento Ordinis, vel confirmationis, aut similibus, & peccato amissa debet restitui statim per penitentiam; ergo à fortiori gratia correspondens antiquis meritis debet statim restitui. Antecedens probatur, quia ideo dicimus, debere restitui illam gratiam, ne homo per totam vitam praeiuratur fructu illius Sacramenti, quod ordinatur ad danda auxilia, ut possit homo sancte, & dignè exercere officium Sacerdotale, vel proficere fidem, aut subire onera matrimonij, &c. Cum enim non possit reiterare illud Sacramentum; si non restituitur eius gratia, frustrabitur suo effectus: debet ergo statim restitui, quia restitutio in fine vitæ nihil conducet ad eum finem. A fortiori ergo debet restitui statim gratia meritorum, ad quam videtur plus iuris habere homo, quam ad gratiam habitam per Sacramenta. Non ergo ponitur absque fundamento restitutio gratiæ statim, imò absque fundamento negatur statim fieri, si aliquando facienda est absque alia dispositione.

43. Concluditur ex dictis, merita antiqua reuiuiscere ad totum præmium essentiale, & ad gratiam antiquam, non ex parte, sed integrè, quæ tota statim restituitur; cuius probatio non est alia, quàm illæ rationes, quibus alias sententias impugnauimus. Hæc est hodie communior sententia, & eam sequuntur fere omnes nostræ Societatis Theologi tam in præsentis, quàm in materia de charitate, & in materia de merito, apud quos videri possunt alia leuiore obiectiones contrariæ prædictæ.

Prima sententia negat.

45. Contraria est communior.

Ioël. 2.

Chrysost.

46.

75

ut vidimus *sect. præcedenti*, ita gratia, de qua nunc agimus, data fuerat iam ex meritis Christi quæ potentiora sunt ad dandum ius perpetuum ad gratiam & ad obligandum Deum ad eius restitutionem: quando enim datur gratia ex opere operato per Sacramenta, tunc applicatur nobis portio aliqua meritorum Christi, & quasi per donationem fiunt nostra illa merita; ergo non minus ius manet in nobis ad illam gratiam, quam si esset data ex meritis nostris.

47. Hæc ratio ostendit bene possibilitatē; non tamen, quod de facto debuerit ita fieri, non enim quoties datur nobis aliquid ex Christi meritis, datur cum omni perfectione, & iure, quo posset ex Christi meritis dari; quia non vult Christus applicare sua merita cum tota illa perfectione, sed cum limitatione, licet ex parte valoris meritorum Christi possent perfectius applicari: poterant enim Christi merita non solum dare illam gratiam, sed etiam perseverantiam in gratia: Vtrumque; quippe ipsis debetur, si pro utroque applicentur; & tamen de facto non valent omnibus ad utrumque, non ex defectu valoris, sed ex defectu applicationis Christi, cur ergo non potuit similiter Christus applicare sua merita in Sacramento, ut daretur gratia homini, qui baptizatur, verbi gratia, & non ut restitueretur illa gratia post lapsum? Certè si illa Christi merita facta fuissent mea, ego obtinuissem infallibiliter perseverantiam, quia ad id totum habebant valorē: ergo signum est, non applicari simpliciter sed cum limitatione, scilicet, ad hoc, vel illo modo obtinendam gratiam ergo potuerunt applicari, ut daretur gratia, non solum amissibilis, sed irreparabilis, quia non magis repugnare videtur vna limitatio quam alia ex parte applicationis.

48. Aliunde itaque videtur petenda necessitas, vel congruentia huius restitutionis, scilicet ex ipsa natura gratiæ, applicando doctrinam supra traditam, nam eo ipso, quod homo, per pœnitentiam iustificatur, & accipit gratiam habituales accipit ius ad gloriam æternam, & per consequens exigit statum expetrem omnis pœnæ, & punitionis æternæ: Si autem non restitueretur gratia tota per peccatū ablata, sequeretur hominem puniri aliqua pœna damni æternæ, quatenus perpetuo careret illa gratia in pœnam sui peccati, & per consequens gloria illi correspondente; ergo ex natura ipsa iustificationis oritur, ut eo ipso restitueretur aliquando tota gratia, cuius iacturam incurrimus propter peccatū: quod si aliquando restituenda est, non est, cur non restitueretur statim ablato peccato, cum eo ipso auferatur obex, quo impediatur: cum enim tota causa, cuius intuitu datur illa gratia, fuerit Sacramentum, v. g. continens in se merita Christi, non apparet, cur debeat amplius differri eius restitutio post ablatum peccatū, quod impediatur efficaciam Sacramenti præteritis, quia sicut in cōmuni Theologorum doctrina dicentium, aliqua Sacramenta etiam in peccato suscepta causare postea suū effectū gratiæ, quando auferitur obex peccati; gratia illa Sacramentalis non differtur, sed statim ablato obice datur, quia iam supponitur posita tota eius causa, scilicet Sacramentum: similiter in nostro casu dicendum videtur, si tota causa huius gratiæ restituendæ fuit Sacramentum olim positū non esse cur differatur restitutio illius gratiæ post ablatum peccatū, sed statim restituendam esse, sicut de gratia tota meritorum mortificatorum diximus *sect. præcedenti*.

49. Confirmare item possumus ex hoc ipso exemplo conclusionē nostram; quia ideo censent Theologi Sacramenta illa, quæ imprimunt characterem, dare

suum effectum gratiæ tempore sequenti, quando auferitur obex, quia nimirum ea Sacramenta repeti non possunt, quæcūque fuisse, qui suscepit Ordinem, v. g. in statu peccati nunquam acciperet gratiam Sacramentalem, quantumvis postea converteretur; videretur fraudari Sacramentum illud sine suo, scilicet dandi illi homini gratiam, & auxilia ad citē, & bene exsequendum suum ministerium. Imò propter eandem rationem hoc ipsum docent multi de Sacramentis matrimonij, & extremæ unctionis, quod causent suum effectum, saltem quando auferatur obex durante statu coniugij, vel ægritudinis: alioquin cur non posset repeti extrema unctio in eadem ægritudine, si infirmus, quando illam susceperat in peccato, cum adhuc nō habuisset aliquem effectum? De hoc tamen vide quæ diximus *disp. 9. de Sacramentis in genere sect. 6.* Hoc ego supposito possumus ad præsentem materiam explicare idem argumentum: Si enim per pœnitentiam non restituitur gratia Sacramentalis, ergo Sacerdos, v. g. qui in sua ordinatione accepit gratiam ad bene exercendum suum ministerium, & postea peccavit, nunquam quantumvis converteretur, recuperat gratiam suo muneri congruentē, quæcūque in illo videretur iam aliquo modo frustrari Sacramentum Ordinis suo fine; quod idem à fortiori de coniugato, vel infirmo dici debet, qui post Sacramentum Matrimonij, vel unctionis susceptum peccavit; nam quantumcumque pœniteant non proderit illis eorum Sacramentorum susceptio ad finem coniugij, vel contra tentationes morbi, vel agonis, si quidem gratia utriusque Sacramenti per se nunquam illis restituitur. Ex quo rursus fieri videtur, quod deberet ille ægrotus iterum atque iterum vngi in eodem morbo toties, quoties gratia fuerit per nouum peccatum interrupta: quæ omnia absurda sunt.

Dices, licet non restitueretur gratia habitualis Sacramentalis, adhuc Sacramenta præterita faciunt, quod Deus eorū intuitu det homini gratias actuales, & auxilia ad finem Sacramenti opportuna. Sed contra hoc est, quod ea auxilia non causantur immediate à Sacramento, sed mediante gratia habituali, quæ ideo datur in omnibus Sacramentis, ut sit quasi radix, & ius quoddam permanens in anima, ex quo suo tempore oriantur ea auxilia, & alij effectus accidentales ad finem Sacramenti consequendum, ut diximus *disp. 4. de Sacramentis in genere section. 4.* Si ergo restituitur illud ius, restituitur etiam gratia: si verò non reddit gratia, non reddit ius, & per consequens manebit iam omnino otiosum, & inutile Sacramentum. Melius ergo conceditur, reddi post pœnitentiam totam gratiam Sacramentalem præteritam ablato obice peccati, ex quo redditur optima ratio cur non possint aut debent ea Sacramenta reiterari post peccatum.

Addunt aliqui rationem aliam desumptam ex natura, & dignitate ipsius gratiæ habitualis; quia per gratiam homo acquirit ius ad gloriam, ut hereditatem, sicut per merita acquirit ius ad eandem gloriam, ut ad coronam: ergo sicut meritis debetur corona gloriæ sub ea sola conditione, si homo decedat in gratia; sic sub eadem conditione debita videtur gloriæ hereditas homini habenti gratiam: ergo posita illa conditione mortis in gratia debet illa prior gratia consequi hereditatem debitam, & per consequens debet restitui ipsa gratia, sicut debet restitui gratia data ex meritis.

Hoc argumentum aptum quidem est ad ostendendū dignitatem, & excellentiam gratiæ habitualis quæ tanta est, ut semel collata gratia affrat ius ad

ad sui perpetuitatem, & vt nunquam sine hominis culpa auferatur; imò, vt si absque culpa ablata fuerit, restitatur. Sic enim in humanis, qui semel filius adoptiuus, vel amicus fit, alicuius, videtur iam habere ius aliquod, vt sine culpa non priuatur filiatione, vel amicitia; atque adeo, vt si absque culpa priuatus faciat, restitatur. Vnde, si natura humana semel à Verbo diuino ad hypostaticam, vnionem assumeretur, non solum acquirit ius ad perpetuitatem vnionis, & status illius, sed etiam vt si aliquando dimitteretur, restitueretur postea ad eundem statum; imò consequenter videtur acquirere ius, vt si de potentia Dei absoluta, destrueretur, & annihilaretur postea tamè reproduceretur, & reassumeretur: hoc enim totū videtur includi in perpetuitate status, ad quā affert ius vnio illa humanitati semel data. Quod idē cum proportionē de gratia habituali dicendum videtur, per quam homo adoptatur in filium, & assumitur in amicum Dei, atque adeo affert ius ad perpetuitatem, hoc est, vt sine culpa non cadat homo ab eo statu, & dignitate, & si ceciderit absque culpa restitatur.

Ceterū, quod attinet ad propositum nostrum, & restitutionem gratiæ per peccatum amissæ, non vtor illo argumento, quia vt dixi *sect. 1.* si Deus remitteret peccatum per meram condonationem extrinsecam absque infusione gratiæ, non repugnet neque esset contra naturam, & dignitatem meritum præcedentium, quod non reuiuiscerent, nec restitueretur gratia illius correspondens: multo ergo minis esset contra exigentiam gratiæ habitualis collata per Sacramenta, quod non restitueretur postea, si homini absque gratiæ infusione per condonationem Dei remitteretur peccatum. Ratio autē sumitur *sex* supradictis: quia licet gratia semel collata exigat ex se perpetuitatem hoc est, vt sine culpa non tollatur, non tamen exigit vt conferretur, vel restitatur posita culpa hominis. Et quāvis remisso peccato, auferatur culpa; posset tamē Deus remissa culpa, non remittere pœnā, vel totam, vel partem. Posset ergo Deus, condonare culpam, non condonare pœnā, saltem quoad partem illam nō recuperandi gratiā habituale ablatam, filiationē, & amicitiam, atque adeo non esset cōtra naturam cōdonationis nec cōtra exigentiā gratiæ, quod gratia nunquam restitueretur; quia cū fuisset ablata propter culpam hominis, posset in pœnā illius culpæ nunquam restitui. Melius ergo probatur ne-

cessitas restituendi gratiam, ex exigentia gratiæ, qua peccator iustificatur, quæ gratia exigit vt non puniatur homo amplius pœna æterna ob peccatum præteritū, atque adeo quod non patiatur priuationē æternam illius gratiæ, quam propter peccatū amisit.

Ex dictis inferitur primò cū Suarez, & aliis hominem per pœnitentiam semper resurgere ad maiorem gratiam, quam prius habebat; recuperat enim totam illam, & præterea accipit illam de nouo ex vi contritionis, vel Sacramenti præsentis. Nec ex hoc sequitur, eum esse melioris conditionis quam si non peccasset: Si enim non peccasset, habuisset præmium eorū omnium operum, quæ fecit, quandiu erat in statu peccati, quæ tamen nunquam ad præmium illi proderunt beatitudinis æternæ, cum fuerint opera mortua.

Obiiciunt aliqui experientiam cōtrariam, quia pœnitens sæpe experitur in se difficultatem ad bene operandum: ergo non recuperat habitus virtutum in ea intentione, quam prius habebant. Respondetur facile, habitus infusos non dare facilitatem, sicut acquisitos, vt alibi docui, & ex multis aliis experientiis comprobauit cum Vasquez *1. 1. disp. 83. cap. 1.* quem sequitur Coninch. *in præsent. num. 17.* difficultas ergo illa oritur ex defectu exercitij bonorum operum, quæ paulatim contrariis actibus expellenda est, & auxiliis diuinæ gratiæ, quæ magis in dies inclinent, & moueant voluntatem ad obiecta, à quibus prius auertebatur.

Infero secundò, Adamo etiam restitutam fuisse gratiam habituale, quā ante peccatū habuerat. In quo immerito, & absque fundamento dubitat P. Coninch in præsent. Ratio enim supra adducta eodem modo probat de illa, sicut de nobis: quia alioquin Adamus pateretur aliquam æternā pœnā sui peccati, scilicet, carentiam illius gratiæ, & gloriæ correspondētis. Quāvis ergo nō recuperauit in hac vita iustitiam originalem: recuperauit tamen gratiam habituale, quæ licet quoad primam collationē non fuerit ex meritis Christi, fuit tamē quoad reparationem, in quo nullum est inconueniens.

Restabat, vt nunc ageremus de alio effectu pœnitentiæ in ordine ad satisfaciendum pro debito pœnæ temporalis: de hoc tamen commodius dicemus infra *disp. 24.* post explicatas alias partes Sacramenti pœnitentiæ, ne tractatum de satisfactione diuidamus, sed simul de satisfactione ex opere operantis, & ex opere operato tractemus.

54.
Homo per
Pœnitentiam
semper resur-
git ad ma-
iorem gratiā,
quā prius
habebat.

55.
Adamo resti-
tuta fuit gra-
tia habitua-
lis, quā an-
te peccatum
habuerat.

TRACTATUS DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

DISPUTATIO XII.

De institutione, & partibus Sacramenti
Pœnitentiæ.

SECT. I. Sacramentum Pœnitentiæ ab aliis
distinctum à Christo esse institu-
tum.

SECT. II. De partibus Sacramenti Pœnitentiæ.

SECT. III. Quid importetur in recto per Sacra-
mentum Pœnitentiæ?

POST QUAM egimus de virtute Pœni-
tentiæ, sequitur vt de Sacramento pœni-
tentiæ agamus: quod quidem multis no-
minibus apud Patres, & Concilia appellari solet. *Primo* vocatur: *Lauacrum lachrymarum*, & *Secunda* *purgatio*. Sic Nazian. oratione in sanctum lauacrum, & oratione in l. unianaria. *Secundo* vocatur *iterabi-*
lis Baptismus differt enim à primo baptismo, quia
iterabilis non est. Sic August. *lib. de Baptismo*. Tet-
tio

Varia nomi-
na Sacramē-
ti Pœnitentiæ.